

IV. Ex quo rectè concludit, eos non credidisse purgatorium.

V. Animæ hinc decedentes non tantum memoriam retinent eorum, quæ hic sciverunt, Luc. XVI. 28. sed & novam antea incognitorum notitiam acquirunt. Varenius.

VI. Non obstante graduum quoad pœnas diversitate, nunquam tamen pœna damni separata erit à pœnâ sensus. Matth. XXII. 13.

VII. Pœna damnatorum infernalis formaliter & primariò consistet in intellectus & voluntatis, tanquam facultatum animæ nobilissimarum, inordinatione & perversitate, quâq; DEUM non apprehendent nisi ut iratum sævumq; judicem, extremos & ineffabiles ipsis cruciatus inferentem.

III. Unde fieri non potest, quin semper aut peccent damnati, aut legem non habeant, quod absurdum. I. Joh. III. 4. Gerhardus.

IX. Ignis non elementaris & tamen propriè dictus est aqua non humida & tamen propriè dicta. Qualis ille futurus sit, si non est elementaris, non liquet.

X. Nec liquet, ubi sit infernus, qui quia paratus est, creatus est. Matth. XXV. 41.

XI. Æternum puniuntur damnati, quia æterni peccant.

XII. Non est absurdum, pœnarum infernalium ut gradus, ita & graduum esse intervalla.

Disp. XIV.

De

Imagine DEI.

I.

Non poterat DEUS salvâ justitiâ & sanctitate suâ hominem condere, ratione præditum, sine imagine Divinâ.

II. Imago autem Divina formaliter & primariò consistebat in notitiâ practicâ, non omni, sed eâ, quæ hodie supernaturalis est, mysteriorum nempe Divinorum, ad salutem æternam ordinatorum, eâq; pro illo statu perfectâ & sine labe. Col. III. 10. Eph. IV. 24.

III. Ac-